DE

IMPEDIMENTO ERRORIS

(secundum praecepta juris canonici Catholicorum).

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

illustris jureconsultorum in academia

FRIDERICIA HALENSI CUM VITEBERGENSI

sociata ordinis,

tentaminibus nec non examine rigoroso

superatis,

UT SUMMI IN UTROQUE JURE HONORES

rite sibi tribuantur,

scripsit

HENRICUS HALFES

RHENANUS.

Creveldiae Typis Kleinianis.

Anno MDCCCLXI.

PARENTUM

nec non

HENRICI SIEPEN

Stockheimensis,

avunculi dilectissimi et patrini,

manibus,

hasce litterarum primitias

pio gratoque animo

offert

AUCTOR.

De impedimento erroris.

Prooemium.

Grande quid et excellens est profecto matrimonium, quod Deus ad humanae familiae propagationem instituit, quod Christus Dominus in magnum constituit eximiae illius, qua cum ecclesia devinctus est conjunctionis sacramentum, cujus finis et scopus est et patriam et Christi ecclesiam augere filiis et coelum beatis incolarum agminibus amplificare. [1])

Matrimonium igitur inter summa generis humani bona numerandum est, et jus matrimoniale illi maximi est momenti. Non solum autem totius generis interest, sed etiam ad singulorum hominum summam spectat utilitatem, atque quum matrimonium indissolubile sit, quaestio conjugibus quam gravissima est: utrum conjugium verum ratumque an nullum sit.

---

[1]) Cf. J. P. Martin „De matrimonio et potestate ipsum dirimendi ecclesiae soli exclusive propria. Lugduni et Parisiis apud Perisse fratres bibliopolas 1844.“ in dedicatione libri et in § VIII. pag. 220 et seq.

Quae quum ita se habeant, conanti mihi argumentum ex jure matrimoniali desumtum tractare, non tam scribendi cupiditate, quam necessitate consequendi finem propositum ducto, benevolus lector, electa tali materia quodammodo mitigatus, libentissime ignoscet, si forte opusculum ipsum non satis accurate et perfecte scriptum videatur, et, propter rei difficultatem, tentatae, non absolutae dissertationis nomen mereatur. Idque tum eo magis fore ut faciat spero, quum occurrunt controversiae componendae, quae et plurimum valent et a permultis iisque doctissimis viris sunt motae.

Quale est impedimentum erroris. In quo discrepant sententiae, utrum solo errore personae physicae et sola ignorantia conditionis servilis, an etiam aliorum vitiorum insignium et personam ipsam valde afficientium ignorantia, matrimonium possit impediri. Qua de re non solum inter juris interpretes [1], sed etiam inter ipsos judices [2] dissentiri videmus. Praeterea cum illa controversia duae aliae cohaerent, quippe a quarum dijudicatione et illius compositio dependeat Altera enim est: de quo fonte sit jus hauriendum, altera quaenam sit ratio cujusdam erroris qualitatis in personae errorem redundantis, de quo juris professores saepissime plurimaque loquuntur.

---

[1] Cf. Schulte. Eherecht. Gießen 1855. p. 110. not. 9.

[2] Cf. Stapf. Pastoralunterricht über die Ehe. Siebente Auflage. pag. 119—123.

Atque de hoc quidem impedimento disserere mihi proposui, illas litterarum pugnas exaequare conaturus.

Quam maxime ergo commendo hasce pagellas, diligentia quadam a me scriptas, benevolentiae eorum, qui eas legent, sperans fore ut, si quid in iis erraverim, benigne de me judicent.

Ordo et rerum distributio mihi erunt haec: In 1. §. quaeram, utrum certus quidam locus Decreti Gratiani, qui de errore in matrimonio ineundo agit, jus verum sit nec ne. Quem quum paucis verbis jus esse confirmaturus fuerim, in 2. §. ejus sententiam explicabo. Tum in 3. §. de errore qualitatis jam significato disseram. Deinde erroris matrimonium vitiantis, tali modo perspecti, qualitates in 4 § accuratius describemus, cui rei pauca de errore matrimonium non vitiante adjiciemus. In 5. §. adversariorum, inprimis Walteri, professoris Bonnensis, quippe qui nonnulla nova attulerit contrariae sententiae argumenta, rationes in conspectu ponemus, et quoad nondum factum sit, examinabimus et rejiciemus. Denique in ultima §. de natura impedimenti erroris, et de revalidatione, quam dicimus, matrimonii, quod propter errorem nullum factum est, disputabimus.

§. 1.

Debetne can. un. causa 29. q. 1. fons juris teneri, e quo nobis in re tractanda hauriendum sit?

Constat a Gratiano in secunda Decreti parte plenam doctrinam esse propositam, quatenus error matrimonium impediat. Qua in re non, sicut alias facere solet, ita versatus est Gratianus, ut verba sanctorum Patrum, vel Conciliorum, vel Romanorum Pontificum sua faceret, sed totam Quaestionem propria auctoritate suisque verbis expediret. Juris canonici vero auctores tantum non omnes hujusmodi „Dicta Gratiani“ vi legali omnino carere contendunt [1]. Inde effectum est ut ex. gr. Eichhornius in libro quem de jure ecclesiastico scripsit, vol. II. pag. 352. Gottingae 1833, diceret: Daß der Irrthum in der Person das matrimonium hindere, „dies ist allgemein „anerkannt, wiewohl es sich auf eine bestimmte Stelle „eigentlich nicht gründen läßt. Man kann sich auf „can. un. causa 29. q. 1. nicht berufen, denn dieser „sogenannte canon ist ein dictum Gratiani, das mithin „nicht mehr bedeutet, als jede andere Auctorität.“ Idem fere sentiunt Walterus et alii.

---

[1] v. Droste-Hülshoff Grundſ. d. gem. Kirchenrechts I. §. 42. p. 97. Nota 183. Phillips Kirchenrecht IV. §. 178. p. 148. Nota 30. §. 180. p. 163. Nota 3. §. 193. p. 415.

Atque negari non potest Gratiani Decreto et multo magis Dictis Gratiani neque a Concilio neque ab ullo Papa sive Pontifice auctoritatem legis esse tributam, quum neque Eugenius III. illud a Gratiano sibi oblatum, comprobaret neque Gregorius XIII. quum librum a Pio IV., a Pio V. et a se ipso emendatum anno 1582. addita Bulla edi mandaret. Quorum hic quum in bulla dicat: „Jubemus igitur ut „quae emendata et reposita sunt, omnia quam dili- „gentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, „aut imminuatur" aequales eum Decretum confirmasse negant. Praeterea etiam in quadam decisione Rotae legitur: „Nec Gregorius XIII. Gratiani librum „tamquam legalem authentizavit, quum solum emendari „jusserit et mandaverit observari." [1])

Nec minus verum est: totam quaestionem de qua sermo est, omni alia ecclesiastica auctoritate, ut sanctissimorum patrum, esse destitutam Quin, ne doctrina quidem de contractibus juris Romani, qua Gratianus sententias niti velle videtur, eas ab omni parte fulciunt. [2])

---

[1]) Pegna. Decisiones Rotae no 480. cf. Phillips 1. c. p. 162, 414.

[2]) Errat Muenchenius in 31. libello commentariorum philosophiae et catholicae theologiae a Dr. Achterfeldio etc. editorum, in 3. libello anni 8. dicens: in jure communi errore qualitatis numquam contrahendum negotium impediri. Nonne enim vetus error in substantia et is quem Savignius in ejus locum substituit, error qualitatis nominari debet? Cf. Vangerovium III. pag. 263 et seq.; Savignium III. pag. 267. — Hoc pugnat etiam contra Gratianum, quem Muenchenius defendit.

Nihilominus tamen concedendum videtur, locum de quo agitur, non solum privata Gratiani, sed ipsius juris frui auctoritate. Nam tota quaestio non solum Glossa ordinaria Johannis Theutonici est instructa, sed etiam recepta [1]) in tribunalibus plurimis [2]) praecipue Romanis, perpetuo secundum eam judicatur. Ita jam in decisione S. Congregationis Concilii Tridentini, anno 1720 facta, quam Knoppius I. 60. allegat, legitur: „Error qualitatis non facit conju„gium irritum juxta Canones a Gratiano collectos in „causa 29. q. 1.

Quod cum multis aliis et Muenchenius, sagacissimus nostri impedimenti auctor, defendit, qui praeterea pulcherrime explicat, quomodo facta sit receptio, utens his verbis: „Wie die ganze Arbeit Gratians „practisch war und einen praktischen Zweck hatte, so war „auch diese seine Lehre practisch und wenn nicht aus „dem wirklichen Leben, denn doch aus der herrschenden „Rechtsansicht gewonnen. Daher konnten die Glossatoren „keinen Anstand finden, sie anzuerkennen. Sie begleiteten „sie mit Bemerkungen und verbreiteten sie als allgemein „giltiges Recht. Und so ist Gratians Beweisführung für uns in der Q. 1. wirkliche und „giltige Rechtsquelle geworden." Cui sententiae addit in nota: Gratiani verba singula fere a Petro Lombardo in lib. IV. sent. Dist. 30. transscripta eoquemodo ad Scholasticam familiam propagata esse. Cf Schultium. l c. pag. 113. n. 15.

---

[1]) cf. testimonia §. sequentis.

[2]) cf. ipsum Walterum; edit. 12. pag 592 9, 9. Bonnae 1859.

§. 2.
Quaenam est doctrina de errore, qui contingit in matrimonio ineundo, quam Gratianus in caus. 29. q. 1. docet, quamque ecclesia usu recepit?

Gratianus l. c. causam proponit sequentem: „Cui„dam mulieri nobili nunciatum est, quod a filio cujus„dam nobilis petebatur in conjugem; praebuit illa „assensum. Alius vero quidam ignobilis atque servilis „conditionis nomine illius se ipsum obtulit, atque „in conjugem accepit. Ille, qui prius sibi placuerat, „tandem venit eamque sibi conjugem petit. Illa se „delusam conqueritur, et ad prioris copulam aspirat."

Hoc igitur matrimonium, quaestione instituta, nullum esse contendit, quia consensus, qui necesse est in matrimonio ineundo ab utraque parte detur, ab altera parte tantum per errorem sit datus neque ideo verus consensus possit haberi. Quale negotium non magis matrimonium esse dicit, quam esset venditio, si quis alicui sese agrum venditurum pollicitus, re vera postea cum altero, [1]) illum ementito, contraxisset, vel si quis aliam atque se daturum promisisset, materiam tradidisset. „Consensus est duorum vel „plurium sensus in idem. Qui autem errat, non sentit, „ergo non consentit, id est, simul cum aliis sentit. „Haec ergo erravit, non ergo consensit, non itaque „conjux est appellanda, quia non fuit ibi consensus.

---

[1]) Cf. Vang S. 272. III, L 32 D. R Cr. (12,1.)

„utriusque, sine quo nullum matrimonium esse potest. „Si quis enim pacisceretur, se venditurum agrum „Marcello, et postea veniret Paulus dicens, se esse „Marcellum et emeret agrum ab illo, numquid cum „Paulo convenit iste de pretio aut dicendus est, „agrum sibi vendidisse? Item si quis promitteret: „se venditurum mihi aurum, et pro auro offerret „mihi orichalcum et ita me deciperet, numquid dicerer „consensisse in orichalcum? Numquam volui emere „orichalcum, nec ergo aliquando in illud consensi „quia consensus non est nisi voluntatis. Sicut ergo „hic error materiae excludit consensum, sic et in „conjugio error personae. Non enim consensit in „hunc, set in eum, quem putabat esse."

Tamen, dicit, non esse credendum quolibet consensu per errorem dato, vitiari matrimonium, sed quatuor species errorum esse distinguendas, errorem personae et conditionis servilis, et errorem fortunae et qualitatis. Illorum utroque impediri matrimonium, utroque horum non impediri. Non magis enim licere eum, qui in fortuna alterius conjugis erraverit, talem haberi, qui in eum non consenserit et eum repudiare possit, quam liceret eum qui in praelaturam aliquam, per errorem luculentam habitam, consenserit, talem existimari, qui ei renuntiare possit. Nec magis errore qualitatis consensum matrimonialem ideoque matrimonium tolli, quam propter errorem fertilitatis agri emti vel vineae, orescissi hujus emtionis jure concessa esset. „Ad haec: non omnis error consen- „sum evacuat. Qui enim accipit in uxorem corrup-

„tam, quam putat virginem, vel qui accipit mere-„tricem quam putat esse castam, uterque errat, quia „ille corruptam existimat virginem, et iste meretricem „reputat castam. Numquid ergo dicendi sunt non „consensisse in eas? aut dabitur utrique facultas „dimittendi utramque et ducendi aliam? Verum est, „quod non omnis error consensum excludit; sed error „alius est personae, alius fortunae, alius conditionis, „alius qualitatis. Error personae est, quando hic „putatur esse Virgilius et ipse est Plato. Error fortunae, quando hic putatur esse dives qui est „pauper, vel e converso. Error conditionis, quando „putatur esse liber, qui servus est. Error qualitatis, „quando putatur esse bonus qui malus est. Error „fortunae et qualitatis conjugii consensum non „excludit. Error vero personae et conditionis con-„jugii consensum non admittit.“ — „Error fortunae „et qualitatis non excludit consensum, veluti si quis „consentiret in praelaturam alicujus ecclesiae, quam „putaret esse divitem, et illa esset minus copiosa; „quamvis hic decipitur errore fortunae, non tamen „posset renuntiare praelaturae acceptae. Similiter „quae nubit pauperi, putans illum esse, divitem, non „potest renunciare priori conditioni, quamvis erra-„verit. Error qualitatis non excludit similiter con-„sensum, utpote si quis emerit agrum vel vineam „quam putabat esse uberrimam, quamvis iste erraret „in qualitate rerum , rem minus fertilem emendo, „non potest tamen venditionem rescindere. Similiter „qui ducit in uxorem meretricem vel corruptam, quam,

„putat esse castam vel virginem, non potest eam „dimittere et aliam ducere." Hoc est caput doctrinae Gratiani.

Si commemoraveris, errorem in exemplo a Gratiano relato physicae personae esse, ignorantiam conditionis servilis, quippe quam lex tantum excipiat e generali regula: errore qualitatis non irritari matrimonium, jus singulare esse, neque ideo ad consequentias posse produci: denique, errorem fortunae etiam errorem qualitatis recte nominari: Gratiani sententia paucis comprehensa tibi erit haec: Error qualitatis matrimonium non impedit nisi sit conditionis servilis; error physicae personae impedit illud.

Jam nonnulla virorum doctissimorum testimonia exhibeamus, quae praecipue defendant: errore qualitatis non vitiari matrimonium; namque errore quidem personae physicae illud vitiari apud omnes constat, ignorantiam vero conditionis servilis, hic non tractamus.

Abbas igitur Panormitanus ad Cap. II. propos. in libro IV. Decret. de conjugio servorum: „Dic „latius quod quadruplex est error: conditionis ut hic, „personae, ut si quis credebat contrahere cum Bertha „et contraxit cum Sempronia; fortunae: ut si credebat „contrahere cum divite et contraxit cum paupere; „qualitatis: ut si quis contraxit cum corrupta, quum „crederet contrahere cum virgine. Duo ultimi errores „non impediunt. 29. q. 1. in princ."

Petrus Lombardus in libr. IV sent. dist. 30. Cap. I. . . . . . „Error vero fortunae consensum

„non excludit . . . . . nec error qualitatis, ut si quis „ducat uxorem meretricem vel corruptam, quam „putat esse castam vel virginem, non potest eam „dimittere."

Thomas Aquinas. III. p. summ. theol. supplem. q. 51. art. 2. „Oportet quod error qui matrimonium „impedit, sit alicujus eorum, quae sunt de essentia „matrimonii. Duo autem includit ipsum matrimonium, „scilicet personas duas, quae conjunguntur, et mutuam „potestatem invicem, in qua matrimonium consistit. „Primum autem tollitur per errorem personae, se-„cundum per errorem conditionis, quia servus non „potest potestatem sui corporis libere alteri tradere „sine consensu sui domini et propter hoc hi duo „errores matrimonium impediunt et non alii."

Bonaventura. Lib. IV. Dist. 30. Q. 1. „Dicen-„dum quod error potest esse dupliciter in consensu, „aut error circa personam aut error circa proprie-„tates personae. Si autem sit error proprietatum „personae, talis error non omnino tollit consensum, „et ideo non omnino impedit matrimonium, nisi quando „est error conditionis sive servitutis."

Denique Sanchesius, ut virum commemoremus, quem jus matrimoniale copiosissime tractasse omnes que controversias summa diligentia enumerare constet, dicit n. 8. Disput. 18. lib. VII.

„Secundo certum est apud omnes errore quali-„tatis aut fortunae minime vitiari matrimonium. Quod „is circa substantiam matrimonii non contingat sed „circa accidentia."

§. 3.

De errore qualitatis in errorem personae redundante sive qualitatis in personam redundantis.

Praeter errorem personae physicae et ignorantiam conditionis servilis praesertim in enchiridiis juris matrimonialis et in copiosioribus operibus juris ecclesiastici, etiam error qualitatis in errorem personae redundans sive in personam redundantis commemoratur, qui matrimonium impediat. Quem plurimi ejusmodi intelligunt errorem in qualitate contrahentis, ut errorem personae involvat; minor vero virorum jureconsultorum numerus — utrum ex ipsorum animi sententia nec ne, plane non differt — eum errorem esse existimant in tali qualitate alterius conjugis, quae praecipue ad consensum commoveat. In numero illorum est Walterus, in cujus libro de jure ecclesiastico (11. edit. pag. 537.) legitur: „Wesentlich ist auch der Irrthum, wenn die Person, mit „der man contrahiren wollte, nach einer bestimmten „Eigenschaft bezeichnet war und man irrthümlich mit „einer Person contrahirte, welche nicht die durch diese „Eigenschaft bezeichnete ist. Denn auch hier ist in der „That ein Irrthum in der Person vorhanden (error „qualitatis in personam redundans). Zum Beispiel, „es ist verabredet, daß man den Erstgeborenen heirathen „soll, und es wird Einer als der Erstgeborene vorge„stellt, der es nicht ist, den man aber dafür hält.“ Nec non Schultius qui loco saepius laudato pag.

107 **errorem redundantem definit hisce verbis**: „Irr„thum über eine Eigenschaft des Mitcontrahenten, welche „den Begriff von dessen Persönlichkeit, dessen Indivi„dualität so begrenzt und bestimmt und für den Irren„den zu einer individuellen macht, daß mit dem Wegfal„len desselben, der Mitcontrahent eine andere (**scilicet „secundum contextum altera**) Person wird."

Alteram sententiam primus protulisse videtur Ab Espen, qui in jure eccles. univers. p. 2. tit. 13. c. 18. „Tunc" inquit „autem error circa qualitatem „dicitur redundare in personam, quando animus con„trahentis sic fertur in certam qualitatem, ut implicite „nolit personam, si ipsi desit qualitas, in qua errat. „Exemplum assignat s. Thomas, si principi offeratur „filia tamquam primogenita et haeres Regni. Solet „enim illius animus ita ferri in hanc qualitatem, ut, „si circa illam sit error, nolit istam personam; vel „potius quia juxta prudens judicium judicari debet, „quod censeatur noluisse illam filiam hac qualitate „destitutam." [1]) **Qualem sententiam et Schenklius sequitur in Instit. juris eccles. Landishuti 1830, pars II. §. 684. „Demum secundum alios matrimo„nium dirimit error circa qualitatem, cui ex communi „hominum aestimatione contrahentium consensus „tacite affixus merito creditur." Similiter sentit**

---

[1]) **Hic et qui sequitur locus aliquid de probatione in definitionem erroris trahunt. Quod si rejeceris, naturam erroris supra designatam cognosces.**

Ligorio in homine apostolico.[1]) (Tom. II. pag. 281.) „Tres dantur regulae quibus dignosci possit quando „error circa qualitatem redundet in substantiam .... „Tertia quum contrahens principaliter intendit qua- „litatem et minus principaliter personam, ut si „diceret: Volo ducere nobilem, qualem puto esse „N. N. Secus autem esset si diceret; Volo ducere „N. N, quam puto esse nobilem; ita Sot. Silr. Abul. „Holzm. Cabass. et alii cum sancto Thoma." — Ligorii autoritatem novissimis temporibus secutus est Stapfius, ita dicens: „Wenn die Absicht, den Ehevertrag „zu schließen und der Vollzug des Ehevertrags, nicht „in einem und demselben Individuum zusammentreffen, „so ist es Irrthum an der Person und die Ehe bleibt „ungiltig." L. c. pag. 115.

Quam sententiam esse falsissimam manifestum est. Consuetudine enim contra jus in Dicto Gratiani relatum, novum jus constitutum esse neque contendere possunt qui eam sententiam sequuntur, neque contendunt. Lege vero illa expresse statutum esse, errore circa qualitatem matrimonium minime vitiari, supra vidimus, et plane nullius est momenti, utrum ea qualitas talis sit, ut, si circa illam sit error, conjux alter illam personam noluisse sit existimandus nec ne. Nam errorem in causis, quae ad consensum commovent, rei gestae omnino non nocere, inter

---

[1]) Homo apostolicus instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones sive praxis et instructio confessariorum auctore Ill. et Rev. D. Alphonso de Ligorio olim Episcopo S. Agathae Gothorum etc. Tom. II. Mechliniae 1849. Pag. 281 ...

omnes constat. Tantum quid factum sit, quaeritur, non quam ob rem ita fecerint.

Sed et prior sententia non satis probalibis mihi esse videtur. Etenim, cur hunc errorem proprio nomine significemus? Quomodo distinguitur ille ab errore personae simplici? Nonne quaevis personarum commutatio error qualitatis nominari potest, quum persona nihil aliud sid nisi singularium ejus qualitatum comprehensio? — Knoppius vol. I pag. 44. de hac re fusius agit, et distinctionem eo contineri contendit, quod in errore personae simplici errans personam, quam intendit in matrimonium ducere, accurate cognoverit, in errore redundante vero non cognoverit, et quod tum tantum imaginem, perfecte distinctam, ex singulis ejus qualitatibus cogitatione sibi finxerit. Similiter Muenchenius, quem Knoppius auctorem tantum secutus esse videtur, l. c. pag. 46 eum appellat errorem redundantem, qui contingit, si errans personae imaginem non proprio aspectu adeptus est. Quod etiam Schultius probat, ut ex his ejus verbis elucet, quae Stahlio propter loci Tancrediani interpretationem in pag 107. l. c. opponit. „Das „beweist zuviel, weil dann Jemand die Person, mit der „er irrthümlich zu contrahiren glaubte, auch nicht einmal dürfte gesehen haben.“ (In qua re procul dubio illi ipsi cum hoc consentiunt.)

Sed apparet illam differentiam non esse propriam. Duo tantum distinguuntur casus quibus in personae errorem incidere possis; objectum erroris in utroque casu idem est. Res ipsa igitur duos illos errores

statuere nullo modo cogit, et ii ipsi, qui hoc faciunt, quodammodo se supervacaneum quid facere fatentur. Ita Schultius, qui l. c. pag. 520. de jure Gallico dicit: „Dasselbe läßt gleich dem Canonischen nur einen „Irrthum in der Person als einen Anfechtungsgrund „zu, wobei es sich von selbst versteht, daß der auf die „Person zurückfallende Irrthum einer Eigenschaft unter „demselben mitbegriffen ist.“

Non magis illa distinctio defendi potest, si res gestas spectas.

De errore enim redundante primus locutus est Thomas Aquinas. Pro magna auctoritate, qua hic vir usus est, qui omnium theologorum princeps nec non doctor angelicus nominaretur, non sine jure sententia illa lata esse videtur: ipsius locum statuti erroris qualitatis in errorem personae redundantis exstitisse causam. Quae res eo est verisimillima, quod celeberrimi jurisperiti et theologi, ubi de errore redundante verba faciunt, Thomae Aquinatis locum commemorant. Idem censet Stahlius, qui in „commentatione de matrimonio ob errorem rescindendo“ pag. 3 et 4. recentiorum de errore redundante doctrinam ex loco nominato aut comprobat aut repudiat.

Locus vero apud Thomam hic est: „Error nobi„litatis in quantum hujusmodi non evacuat matri„monium eadem ratione, qua nec error qualitatis. „Sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in „errorem personae, tunc impedit matrimonium. Unde „si consensus mulieris feratur in istam personam

directe, error de nobilitate ipsius non impedit ma„trimonium. Sin autem directe intendit consentire „in filium Regis, quicunque sit ille, tunc si alius „praesentabatur ei quam filius Regis, est error „personae et impedietur matrimonium.“ Sent. lib. IV. dist. 30 q. 1. art. 3. Summ. supplem. ad III. part. quaest. 51. art. 2.

Recte jam Muenchenius verba „in filium Regis, quicunque sit ille“ interpretanda esse dixit, in quemlibet filium nostri Regis, non vero in quemlibet juvenem, dummodo sit filius alicujus regis. Quibus non tam sponso futuro optatam qualitatem, quam ipsam personam esse designatam, existimandum est. Certas personas verbis subjicere debet mulier, aliter non „directe“, sed sub conditione eligeret, et in doctrina de conditionibus s. Thomas h. l. non versatur. Praeterea isti interpretationi omnia illa obstarent, quae antea illis objecimus, qui ulteriorem illarum de errore redundante opinionum defendunt.

Quam rem si tenuerimus et errorem personae, quem supra ex ipsa lege profectum intelleximus, contulerimus cum errore qui nobis hic occurrit, discrimen elucebit hoc.

In exemplo a Gratiano relato A pro B habetur; „hic putatur esse Virgilius et ipse est Plato“; in exemplo Thomae Aquinatis persona certa atque singularis, quae possit cum altera commutari, non invenitur. Ibi complures personae non ignotae comprehenduntur, quarum unaquaelibet in matrimonium petitur. Apud Gratianum errans cogitat: hic est

ille quem mihi conjugem optavi; apud Thomam, hic est unusquilibet eorum, quos mihi conjuges optavi. Accedit vero, quod illae personae communi utuntur significatione.

Quibus rebus solis singularis inter Gratiani et Thomae Aquinatis locum differentia contineri videtur, quum de perceptione sensibus facta et non sensibus facta hic nullus sit sermo. Itaque errorem redundantem Thomae Aquinatis appellatum velim hunc: si quis serio intenderat e pluribus personis sibi non ignotis et una communi qualitate designatis, unam quamlibet in matrimonium ducere, re vera vero per errorem nullam earum conjugem accepit.

In hoc errore qualitatis in personam redundantis magis solum errorem qualitatis invenies, quam in illo communis opinionis. Nam persona, cui errans consensum dedit, cum altera certa atque singulari non permutatur. Tantum aliquid, quod etiam complurium personarum est, nempe ut sit „filius talis viri“ ei attribuitur. Ea vero est qualitas. Contra durissime qualitatem personae attingi putant, si ea non est illa. Quae durities dilucide in definitione Schultiana, a nobis supra proposita, apparet, quamquam illa communem de errore redundante doctrinam, accurate exponit. Sed nequaquam vulgaris est ille error qualitatis. Ad similitudinem erroris personae accedit, quod ut in illo, sic et in hoc errans non in personam, cui consensum dedit, sed potius in aliam, etiamsi non propria sed tantum unaquaelibet a pluribus personis est, vere consentit. Itaque noster

error redundans sua natura quodammodo medium tenet locum inter errorem personae et qualitatis. Illam quam cum errore personae habet similitudinem respiciens, theologorum princeps eum summo jure vitiantem judicavit. Longe enim aliter se res habet in errore qualitatis vulgari. Licet longe alias qualitates in muliere suspicatus fuerim, si eam in matrimonium duxi, est meae voluntatis subjectum. Omnes vero qualitates semper secundum veterum doctorum disciplinam accidentalia, quum subjecta sint substantialia matrimonii. Totus hic Thomae Aquinatis locus analogia videtur, quum doctor angelicus legem Gratiani tantum ad consequentias produxerit. Quod enim jus est, si duae personae certae atque singulares, duo subjecta mente errantis capta, commutata inter se sunt, ex eadem juris ratione etiamtum valere debet, quum personam, in quam consensimus, non quidem certa atque singulari persona, sed tamen cum unaqualibet e pluribus non ignotis personis, permutavimus. Paucis: quod de commutatione personae simpliciter electae valet, etiam de commutatione sub alternatione electae valet.

Sequitur ex hac paragrapho: ut errori redundanti communis opinionis, a Schultio, Waltero, Richtero, multisque aliis defensae, inane quid et supervacaneum insit; in errore vero redundante, quem ab Espen ceterique non nominati statuerunt, injustum quid occurrat; si auctore et duce Thoma Aquinate errorem redundantem hic statuere volumus, is ita sit definiendus, ut nos ejus fines circumscripsimus

§. 4.

De ratione atque natura erroris vitiantis matrimonium.

Ex iis quae antecedunt cognovimus, errore personae physicae vitiari matrimonium, qualitatis vero errore nullo modo impediri.

Ratio cur error personae matrimonium nullum reddat, est, quia matrimonium, quum sit contractus consensualis, consensum utriusque conjugis in alterum postulet, quem hic non invenias. Quod Gratiani doctrina expresse dicit, jure contractuum juris Romani nitens.

In causa a Gratiano relata talis consensus nullo modo invenitur. At, nonne fieri potest, ut quamquam fit commutatio personarum, tamen consensus ad constituendum matrimonium idoneus et sufficiens exstet? Potest. Ubicunque enim errans aliter atque in exemplo Gratiani, personam cui consensum dat illius ipsius causa ducere vult, ubi ea ipsa ejusque verae qualitates principaliter ad consensum commovent, existit ibi matrimonium, quum in solo nomine nihil, totum vero in voluntate nitatur. Quam rem bene commemorans Muenchenius l. c. eleganter defendit: quod judices Romani nullum declarare noluerunt conjugium, a quodam Sempronio, juvene divite sed non nobili, initum cum Dalila, puella publica, quae mentita fuerat se esse comitem de Liebenstein, quam ipsam Sempronius a patre effugisse audiverat.

Neque objici potest quod legimus in vexatissima

illa Innocentii III. decretali epistola, [1]) eum qui quum Johannes non vocaretur puellam, quae eum Johannem esse putaret, his verbis „Johannes te desponsat", alloqueretur, nuptias cum hac puella non contraxisse. Ratio enim hujus capitis, ipso summo Pontifice testante, non in eo consistit, quod verum viri nomen non erat „Johannes", sed in eo, quod in matrimonium non consenserat.

Utrum errans sua ipsius culpa erret nec ne, nihil interest. Nam in utroque casu deest consensus, sine quo nullum matrimonium esse potest. Rectissime igitur dicit Billuartus, vir doctissimus, in libro cui inscribitur, Theologia juxta mentem divi Thomae; Tom. XIX. pag. 369. Parisiis 1828: „idque verum est" (matrimonium esse nullum) „etiamsi error sit „vincibilis et supinus, quia hic non agitur de culpa „committenda, sed de consensu necessario, qui deest, „etiamsi error sit vincibilis."

Error consensui dando antecedere debet, quum ille causa matrimonii esse et matrimonium effectus erroris esse debeat. Ita et Schultius p. 104.: „Die „Ehe wird perfect in dem Momente, in welchem der „Consens erklärt wird, weil eine spätere Aenderung des „Willens wegen der Unauflöslichkeit des Bandes rechtlich „nichtig ist. Folglich muß der zu berücksichtigende Irr„thum vor der Eheschließung, d. h. vor der Erklärung „des Consenses, eingetreten sein; einen sog. **error** „**superveniens** kann es also nicht geben, wenigstens „kömmt derselbe rechtlich nicht in Betracht."

---

[1]) Cap. 26. X. De sponsalibus. IV. 1.

De hac regula nullo modo dubia et certe generali exceptionem statuit Billuartus, quem jam laudavi, qui l. c. pergit: „Item verum est“ (matrimonium esse nullum) „etiamsi error non sit antecedens, seu dans „causam contractui, quia licet tunc non sit involun-„tarium positive, est tamen negative seu non volun-„tarium, unde si contrahas cum Joanna, credens esse „Bertam, ita dispositus, quod si scires esse Joannam, „nihilominus contraheres, nullum est matrimonium. Non „enim inde fit, quod de facto habeas voluntatem contra-„hendi cum Joanna, sed tantum quod haberes si „scires; consensus autem tuus actualis fertur in „Bertam et non in Joannam.“

Sed errat ibi Billuartus, neque vera est exceptio.

Duo enim hic errores contingunt. Alter est quod sponsus Joannam pro Berta habet, alter, quod putat Joannam, quam Bertae animo anteponit, a se in matrimonium duci non posse. Quorum quin prior solus, negotio antecedat et causam det, nemo dubitabit. Sed etiam si posteriorem, solum, a priori mente separatum et tantum propria vi utentem spectaveris, eum antecedentem esse negotio, non negabis. Causam vero contractui hunc dare minus accurate diceres, quam potius conditionem sine qua matrimonium non initur, existimares, quum etiam aliam personam quamlibet, sponsus ducere potuisset. Hoc igitur respiciens Billuartus errorem posteriorem, solum non dare causam contractui, contendere recte potuisset. Sed hoc non illi errori simplici, sed toti

errori cumulato, commutatione personarum inclusa, attribuit, quum matrimonium irritum fingat. Quod falsum est. Etenim, error qualiscunque, conjunctus cum errore personae physicae, hunc non antecedentem ideoque non dantem causam contractui efficere numquam potest. Hoc ita per se loquitur ut contraria sententia sibi ipsa contradiceret. At quaeritur, quid Billuartum ita fefellerit. Hic intellige: a Sanchesio eundem casum quem Billuartus proponit, errorem personae concomitantem fuisse appellatum. Haud dubie ex ea significatione Billuartus illum non antecedere, nec minus non esse causam contractus, inconsiderate concludit. Ceterum etiam Sanchesius illud exemplum temere singulari et hoc quidem nomine designavit. Nam non est propria species erroris personae, et nomen adjectivum concomitantis, quo significare solent jurisperiti errorem, qui ita comitatur actum, ut, illo etiam non existente, is adhuc fieret, quique igitur non vitiat negotium, errori qui id, etsi aliam ob causam, impediat, minime convenit. Aliquam tamen errori personae concomitanti, quem Sanchesius nominat, cum errore concomitante vulgari esse similitudinem, mihi objicere possis, quod in utroque, detecto, actus tamen fieret. Quod libenter concedo, tamen sufficere ad nomen posterioris priori tribuendum quum ob causas jam allatas, tum eo nego, quod ea ipsa similitudo denuo dissimile quid adducat. Nam detecto errore concomitante vulgari, et actus et negotium tamen fierent: detecto errore Sanchesiano, actus quidem solus etiam

tamen fieret; sed non tamen fieret negotium, quippe quod tum demum constitueretur. Cf. Knoppium I. pag. 35. not. 6. Cf. Schultium l. c. pag. 105.

Quod jam attinet ad illud alterum, quod de cáusa 29. q. 1. deduximus, errore qualitatis non vitiari matrimonium, nihil in eo differt, utrum error det causam contractui nec ne, utrum incidens, utrum vincibilis sit, nec ne. Nam solus is error, qui jure respicitur, eas divisiones recipit. Neque magis interest, utrum alter conjux illum cognoverit vel etiam ab eo effectus sit error, ut causa, quae ad consensum impulit, fuerit. Nam dolus non est impedimentum matrimonii in jure ecclesiastico. Cf. Glossam ad cap. VI. in I. libro Decret. verbis ad fatuitatem; item ad c. V. C. 20. Q. 3. verbis cogantur; cf. Sanchesium n 17. Disp. XVIII, lib. VII.

§. 5.

Refutatio adversariorum.

In re nostra tractanda summa quaestio est, utrum sola ignorantia conditionis servilis an etiam aliorum vitiorum insignium et personam valde afficientium ignorantia matrimonium vitietur. Qui id concedunt, duabus omnino utuntur probationibus. Aut enim negant: Gratiani locum ab ecclesia usu esse receptum, et rem ex jure communi et illius natura decidunt; aut errorem redundantem, de quo locuti sumus, errorem qualitatis, quae praecipue ad consensum commoveat, sibi fingunt, et assumunt: ipsam immunitatem ab

illis aliis vitiis, e. gr. animi morbo continuo, praegnatione sponsae a tertio factae etc., cuique exhibere talem qualitatem, ut ad ducendam personam praecipue impulerit, quum credere minime liceat: matrimonium ab eo esse contractum, si vitia cognosset.

Contra quas sententias in §. 1. Decreti locum jus verum consuetudine ecclesiae receptum et a Gratiano in scripturam redactum esse demonstravimus et ex eo in §. 2. deduximus, errorem qualitatis non impedire matrimonium, nisi sit conditionis servilis. Nec minus in §. 3. ratione erroris redundantis definita atque circumscripta, statuere conati sumus, idque ante omnia probasse nobis videmur: illum errorem validitatem matrimonii impedientem non deprehendi in errore qualitatis, quae ad ineundum matrimonium commoveat.

Quibus rebus quisque videt jam satis summa adversariorum argumenta refutata esse atque devicta.

Attamen hic Walteri, professoris Bonnensis, viri clarissimi ejusdemque de cultu et disciplina juris ecclesiastici optime meriti, quippe qui suam sententiam nostrae contrariam, semper defensam, nonullis novis argumentis, quorum unum vel alterum, nisi fallor refutationem adhuc desiderat, fulcire et sustinere, offirmata voluntate nitatur, conclusiones examinandae nobis sunt. Dicit enim (edit. XII. Bonnae 1859. pag. 592.) „Ob auch andere Eigenschaften seien, worüber „der Irrthum zur Anfechtung der Ehe berechtige, wird „meistens verneint. Es läßt sich aber die Bejahung „in den Fällen vertheidigen, wo es sich um eine unge-

„wöhnliche, die Persönlichkeit so nahe affizirende Eigen-
„schaft handelt, daß man aus den in der moralischen „Natur der Ehe beruhenden Gründen voraussetzen „muß, der andere Theil würde, wenn er dieselbe gekannt „hätte, nimmermehr consentirt haben, wie eine bleibende „Geisteskrankheit, die erlittene Verurtheilung zu einer „infamirenden Strafe, die Schwangerschaft der Braut „von einem Dritten."

„Die Gründe dafür sind folgende:"

1) „Daß nur der Irrthum über die Unfreiheit, „nicht auch der über andere Qualitäten als wesentlicher „gelten könne, ist nirgends durch ein Gesetz sanctionirt, „sondern beruht nur auf einer Aeußerung des Gratian, „dessen Zusätze bekanntlich kein gesetzliches Ansehen haben, „sondern nur eine Privatauctorität sind." **Objicimus huic loco; totum Gratiani Dictum in foro ecclesiastico receptum ideoque non privata Gratiani, sed juris auctoritate nititur. Cf. §. 1.**

2) „Der Irrthum über die Unfreiheit ist ursprüng-„lich nicht durch ein allgemeines Kirchengesetz, sondern „durch die Wissenschaft und Praxis für einen wesent-„lichen erklärt worden, also kann dasselbe auch mit „andern Eigenschaften geschehen." **Ne hoc quidem Waltero concedi potest, namque juris professores et judices concedere debent Dictum illud Gratiani jam verum jus effectum esse. Itaque illorum vitiorum ignorantia a Jureconsultis nostris jam pro causa irritandi negotii haberi non potest. Quod antea fieri potuisse quidem censeo; sed hic non de eo quod fieri potuerit aut possit, sed quod factum sit, quaeritur.**

3) „Der Irrthum über die im Texte genannten „Eigenschaften berührt das sittliche Wesen der Ehe weit „näher, als der über die Unfreiheit; wenn die kirchliche „Praxis einer blos in den gesellschaftlichen Zuständen „begründeten, nationalen Ansicht eine so große Rück„sicht erwies, so kann und muß dies auch dem sittlichen „Gefühl einer höher gebildeten Zeit geschehen." **Sicut in nota antecedente, sic etiam in hac auctor non de lege lata sed de ferenda loquitur, in qua hic non versamur Recte dicit Schultius illis verbis non quo uti debemus decore judicari. (pag 112 not 13. 1855).**

4) „Der als Orakel seiner Zeit verehrte **Abbas „Panormitanus**, schreibt zum **c. quum dilectus N. 13. *X.* „de his quae vi. Et notat glossa: tenere matrimo„nium licet dolus dederit causam contractui. Quod „ego limitarem, nisi talis et tantus esset dolus, quod „habuisset tollere consensum ad hoc. Quod notat in „simili Jo. Andreae in cap. unico de commodato.“** „Ein solcher **dolus** ist aber von Seiten des Andern in „den genannten Fällen vorhanden." **Huic rationi respondenda videntur haec: Si Abbatis locum ita intelligas, ut Walterus facit, sententia illius; non tenere matrimonium, si talis et tantus esset dolus, quod habuisset tollere consensum ad hoc, id quod antecedit: tenere matrimonium, licet dolus dederit causam contractui, vere negetur. Nam etiam in priore enuntiato supponitur dolus, qui ad consensum illiciat, quoque detecto, ipse consensus tollatur, quum dolus causam dans nominetur. Sed quae Abbas addit, non**

debent continere negationem, sed potius solam limitationem, quam rem ipse significat additis verbis „quod ego limitarem nisi." Haec vero limitatio apparebit, si significationem vocabuli consensus magis coercueris, neque proprium, sed qualis ad constituendum matrimonium solo jure postuletur, intellexeris consensum. Quum jam dolus nihil nisi errorem efficiat, statuimns: Abbatem doctrinam de dolo doctrina de impedimento erroris quodammodo sepire et coarctare, et verbis: „nisi talis et tantus esset dolus, quod habuisset tollere consensum ad hoc, casus Gratiani exemplo similes, subjicere voluisse. Cui opinioni etiam locus, ab Abbate allegatus, minime obstat. Tum vero nonnihil subintelligitur quod reipsa patet. Sed potius supervacaneam rem, quam absurdam licet supponere, et ipse Sanchesius limitationem Abbatis non necessariam nominat. — Sed, etiamsi posueris atque concesseris, aliam atque nos docuimus, inesse Abbatis verbis significationem, tamen ea ad casus a Waltero propositos pertinere nemo statuet, nisi qui summa temeritate, nulla adhibita ratione, suam aliquam sententiam, semel propositam, defendere velit. Constat enim de iis Abbatem aliter sensisse. Jam enim elucet ex loco ejus, quem in §. 3. citavimus. — Etenim cur in corrupta, quam puto virginem, „non talem et" „tantum" inesse dolum negabimus? —

5) „Allgemein zuzugeben ist, daß, wenn auch eine „minder wichtige Eigenschaft zur Bedingung gemacht „war, der Mangel derselben wegen des dann fehlenden

„Cosenses, die Ehe nichtig mache. **Ferrarii Biblioth. „v. imped. matrimonii art. I. N. 14,** ja selbst dann, „wenn diese Bedingung nicht **verbis expressa,** sondern „nur **mente contrahentis retenta** war." **„Sanchez „de matr. lib. VII. disp. 18 n. 21".** „In den genann„ten Fällen trägt aber Jeder die Bedingung in sich „und würde sie, wenn es zulässig gewesen wäre, auch „ausgesprechen haben." **His quoque verbis non desunt quae respondeantur. Conditio posita et error valde inter sese differunt neque inter se commutari debent. Qui conditionem ponit, dubitat utrum hoc an illud sit, qui errat, aliud pro alio habet. Itaque quod jus de illa praecipit, in hunc minime valet. Et ipse Sanchesius voce conditionis mente contrahentis retentae, errorem, quemlibet, significare nequaquam voluit, sed notionem conditionis bene animo tenuit. Quod sequitur ex iis, quae continuo ab eo adduntur, quibusque illa ejus verba ad exceptiones Walteri nullo modo spectare, quam maxime perspicuum est. „Desideratur tamen, ut ea intentio apponendi talem „conditionem, sit actualis aut virtualis, nimirum ut „contrahens habeat tunc illam actu vel virtute, quia „antea habuit, nec per contrarium actum revocata „est. Haec enim intentio sicut sufficit ad constituen„dum matrimonium, si affirmativa sit, ita ad dissol„vendum, quando est negativa. Non vero sufficit in„tentio habitualis. Quare validum esset matrimonium, „licet in hac habituali dispositione esset, ut abstineret „matrimonio illo, si nosset feminam esse corruptam „aut ignobilem. Sicut enim ea intentio habitualis non**

„**satis est ad verum matrimonium, ubi adesset error „personae aut conditionis, qui dirimentes sunt, ita „non satis ad illud irritandum, quando est negativa, „existente errore solius qualitatis, qui matrimonium „minime vitiat.**"!!!

6) „Der Einwurf, daß durch diese Meinung dem „richterlichen Ermessen zuviel Spielraum gegeben, beweist „Nichts. Bei dem Hindernisse wegen Furcht und Zwang, „namentlich wegen **metus reverentialis,** ist dieses aner„kannter Maßen und in einem noch höheren Grade der „Fall." **Hoc posito et concesso nihil tamen Waltero conceditur. Ceterum Walterus in his verbis scribendis minus statutam a se legem, id quod debuit facere, quam a se allata exempla animo considerasse videtur. Nam illi legi etiam multa alia vitia subjici possunt, qua quidem re magnum judicis arbitrium, de quo adversarii loquuntur, continetur. Rectissime Muenchenius Walteri sententiam late patere dicit, et Schultius eam corruptioni, judicum licentiae et privatorum hominum abusui quam maxime subjectam esse putat. (pag. 113.)**

7) „Selbst Schmalzgrüber **IV. 1. n. 446—449.** gibt „das Gewicht der Gründe für die hier vertretene Ansicht „und die Analogie mit **metus** an sich zu, er ist nur „dagegen wegen der Möglichkeit des Mißbrauchs. Allein „die Möglichkeit des Mißbrauchs beweist gegen ein an „sich richtiges Princip Nichts. Mißbrauch ist auch bei „den andern Ehehindernissen möglich und wirklich vor„gekommen. Es muß überhaupt eine vorsichtige und „gewissenhafte Praxis vorausgesetzt werden." **Ad hoc:**

Tale quid a Schmalzgruebero (Jus canonicum, Dilingae 1726) in locis citatis esse concessum, invenire non potui. Verum est, quod ad comparationem cum metu spectat, ipsum Schmalzgrueberum sibi objicere: conjugia metu gravi injuste incusso inita esse ipso jure nulla. Sed non minus objicit: „sponsalia imo „et alii bonae fidei contractus, quibus dolus indeque „ortus error causam dedit, vel irriti sunt, ipso jure, „vel saltem rescissioni obnoxii." Nec minus haec etiam: „error qualitatis in eleemosyna vitiat eleemo„synam, nam si Titio dones, quia pauperem existi„mabas, non valet donatio, si ipse dives sit. Igitur „nec valebit matrimonium contractum cum Bertha, „quam existimabas esse divitem, si ipsa sit pauper." Qua re perspicuum est, comparationem cum metu nihili esse. Nec quidquam aliud quam ipse sibi contradicere videtur, ut habeat quod refutare possit. Praeterea dicit sub n. 449. „Responsionem sic li„mitatam non convellunt argumenta opposita. Ad 1) „negatur paritas. Nam inprimis metus minuit volun„tarium circa substantiam personae, non etiam dolus „et error circa ejusmodi qualitates eveniens. Perez. „D. 24. Sect. 32. 16. Deinde metus multo facilius „probatur quam dolus, et hinc ad cavendas multas „difficultates et lites judiciales ecclesia non „irritavit matrimonia dolo vel errore contracta, „si error iste in substantiam personae non redundet, „et qualitati, circa quam error contigit, non sit „alligatus consensus." (conditio). Quod attinet ad illam alteram Walteri sententiam, qua censet a

Schmalzgruebero suam opinionem tantum rejici, quia timeat, ne ea insolenter et immodice abusuri essent, haec jam verbis citatis: ecclesia non irritavit, satis refutatur. — Caeterum. „Allein ꝛc." **potest concedi.**

8) „Uebertrieben ist daher die Beschuldigung und „Besorgniß, daß durch diese Ansicht der sittliche Bestand „der Ehe erschüttert werde. Unter den oben aufgestell= „ten Beschränkungen ist dieses keineswegs der Fall." **Ibi huic Walteri opinioni sententiam Caroli Salomonis Zachariae a Lingenthal, viri clarissimi, opponere placet, qui dicit in enchiridio juris Gallici civilis vol. III. pag. 51. §, 467:** „Das **impedimentum erro-** „**ris** ist auf den Fall zu beschränken, da sich der eine „Ehegatte oder da sich beide Ehegatten im physischen „Individuum des andern Ehegatten geirrt haben." **Quibus verbis adjicit in nota 3.** „Der Artikel 180 sagt nur: **lorsqu'il y a une erreur dans la personne.** „Für die im §. angenommene strengere Meinung spricht „die Rechtsregel **in dubio pro matrimonio**; auch die „Auctorität des **juris Canonici**. Und wo kann man „stehen bleiben, wenn man einmal von dieser „Strenge nachläßt. Die meisten Ausleger des **Code** „**civil** lassen jedoch noch andere Fälle des Irrthums zu, „ohne übrigens unter sich übereinzustimmen „oder eine genügende Scheidelinie zwischen „einem wesentlichen und nicht wesentlichen „Irrthume zu ziehen."

9) „Die Praxis ist allerdings gegen diese Mei= „nung. Doch gibt es auch Entscheidungen dafür, welche

„bei Stapf, Uhrich und Knopp angeführt sind. Jedenfalls ist die Praxis nicht unabänderlich und es liegen „in andern Fällen Beispiele vor, wo selbst die höchsten „römischen Tribunalien ihre Ansichten geändert haben." Haec profecto Walterus melius omisisset, quum nostrae magis quam auctoris sententiae faveant.

---

§. 6.

De natura impedimenti erroris et de revalidatione, quae dicitur, matrimonii ob errorem nullius.

Impeditur matrimonium ob errorem nullum propter deficientem consensum, sine quo quum contractus consensualis sit, esse nullo modo potest. Quam ob causam impedimentum erroris juris naturalis est, quippe quod conjugii natura contineatur. Contrariam Glossae opinionem quae putat; id juris esse ecclesiastici, jam Sanchesius fusius revicit. Eleganter etiam Thomas Aquinas dicit in addit. ad. III. part. summ. theolog. Q. 51. art. I. „(Respondeo dicendum) „quod quidquid impedit causam de sui natura, impedit „et effectum civiliter. Consensus autem est causa „matrimonii, et ideo quod evacuat consensum, evacuat „matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus „qui praesupponit actum intellectus: deficiente autem „primo, necesse est defectum contingere in secundo, „et ideo, quando error cognitionem impedit, sequitur „in ipso consensu defectus et per consequens in matrimonio, et sic error de jure naturali habet, quod „evacuet matrimonium."

Deinde impedimentum erroris juris privati, non publici est. Nam ut legislatione et administratione nullo modo consulitur et prospicitur, ne quis in errorem ducatur, ita etiam singulis, qui in errorem ducti negotium contraxerunt, curae esse debet, ut vacuitatem a vinculo sibi vindicent. Itaque soli conjuges querelam nullitatis, si licet, instituere possunt.

Denique etiam de revalidatione, quam dicimus, matrimonii ob errorem nullius paucis loquemur. Haec solo consensu fit, qui non tantum verbis, sed etiam factis concludentibus dari potest. In qua re non opus est iterata declaratione coram parocho et duobus testibus facta. Nam, quum conjugium antea rite sit initum, etiam valide contractum fingitur, et necesse est judices competentes id nullum declarent, antequam in foro externo nullum habeatur. Non potest ergo valor ejus repetenda illa declaratione coram parocho et testibus necessariis augeri. Praeterea offensioni esse theologi negant: benedictionem sacerdotalem, quae cum illa consensus declaratione conjungi solet, vero consensui antecedere.

Cf. Resolutionem Congreg. Conc. Trid. in causa Caeneten 10. April. 1723: „Matrimonium servata „forma Concilii Tridentini initum, non est revalidan„dum repetitis solennitatibus si impedimentum sit „occultum.“